Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

hac narrat: Scripsit aliquando Cyrillus (Jerosolymitanus) ad Julium Romanum Pontificem in hæc verba: Magnus est labor ac hominum paucitas in præclaris solennitatibus, eo quod eadem diæ celebrentur: Lectionesque ac officia duarum vix media parte absolvuntur, quod nequeamus et Natale Domini celebrare et Baptisma. - - Jubeat ergo tua Sanctitas perquiri scripta omnia Judæorum, quæ Titus Cæsar abs Hierosalem prædatus, Romam adduxit: forte inveneris certam diem nativitatis Christi ac Dei nostri. Accepta Julius epistola, sedulo ea de re quæsivit. Congregans itaque Judæorum scripta omnia, loco foliorum abluta ac Romam ducta, invenit Josephi Chronographi scripturam quandam abeo exaratam, ut nimirum in mense Septimo, in solennitate Tabernaculorum ac die Expiationis, apparuerit Dei Angelus, Sacerdosque mutus remanserit, usque dum peperit Elisabeth ejus uxor in senectute. - - In hunc modum Julius, Romanus Patriarcha, menses Romanorum atque Hebræorum composuit: a quo tempore cœpit Romana Ecclesia lætis gaudiis celebrare natalem Salvatoris die XXV Decembris, tradiditque celebrandam universis Ecclesiis. Hæc Joannes Nicænus: qui etiam facta computatione concludit, Joannem Baptistam die XXIIII Septembris fuisse conceptum. Advertendum autem est, jejunium Expiationis incidens in diem decimum mensis Septimi, fuisse præparationem et quasi partem futuræ solennitatis Tabernaculorum incidentis in diem decimum quintum ejusdem mensis: adeoque Angelum Zacharia apparentem in die Expiationis, recte dici posse, apparuisse in solennitate Tabernaculorum.